

dam conjunctim & cum illatione membri oppositi totum corpus naturale adæquatè exhauriant. Unde illæ unitæ dicuntur, hæ disjunctæ, ceu ex subsequentiis manifestum erit.

3. *Soli.* Sicut enim Essentiâ Corporis Naturalis datâ, dantur Affectiones: eâdem negatâ, negantur. Ex illâ enim veluti scaturigine derivantur, quâ sublatâ tolluntur etiam ipsæ. DEUS gloriosus maximus est sine quantitate, optimus sine qualitate, omnipræsens sine loco, æternus sine tempore, efficacissimus sine motu & perfectissimus sine quiete. Spiritus enim est non corpus, Spiritus simplicissimus, infinitus ac immensus. Angeli quantitate carent, ut mens nostra angelicæ naturæ ignara quantitatem in iis fingat ac pingat. Carent non minus qualitate physicâ, & nec graves nec leves sunt, nec calidi nec frigidi. Etiam loco, tempore, motu & quiete carent. Spiritus enim sunt, non corpora. Ipsa etiam anima rationalis, quantitatis, qualitatis, loci, temporis, motus & quietis expers est, & si quid de illis habere videtur, non tam sui quàm alterius ratione accipit. Ob corpus nempe nostrum, quod quantum est, quale est, in loco, in tempore, in motu & quiete est.

4. *Semper.* Essentiam corpora naturalia tam diu habent, quàm diu sunt. Semper ergo affectiones habent, nequæ eas nunc deponunt, nunc assumunt. Semper quanta, qualia, in loco, in tempore, in motu aut quiete sunt. Terra nunquam quantitate, qualitate, tempore, loco & quiete caret. Ipsum quoque cælum quantitate, qualitate, tempore, loco aut quiete nunquam destituitur. Nec cogitandum, cum propria intelligenda sint de potentiâ, non de actu, affectiones interdum potentiâ inesse. Non enim illud de inhamentiâ sed de operatione accipiendum. Risibilitas non inest homini potentiâ, sed actu. Risio verò in homine semper non datur. Sic qualitas corpori naturali semper actu inest, licet operatio nonnunquâ impediatur. Potentiâ quod inest, non inest, & quod non inest, non afficit.

5. *Primariò.* Essentiam corporis naturales si insequuntur, *πρωτως* insunt. Dari enim nequit aliud, cui insunt prius. Propter illam verò